Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31296
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">



Duplex solco electos meos visitare temptacione et consolacione. Et duas choreas eis cotidie lego, una increpando eorum vitia, alteram exhortando ad virtutum incrementa. Qui habet verba mea et servat ea, hic

audit

qui iudicet eum in novissimo die.

Oratio ad implorandam divinam gratiam.

Oro

Domine deus meus omnia bona mea tu es, et quis ego sum ut audeam ad te loqui, ego sum pauperrimus servulus tuus et abiectus vermiculus, multo pauperior et contemptibilior quam scio et dicere audeo. Memento mei domine quia nichil sum, nichil habeo, nichil quod valeo. Tu solus sanctus iustus et bonus. Tu omnia potes, omnia prestas, omnia implens, solum peccatum tamen volens vacuum dimittere misericordiam tuam et implere cor meum gratia tua, quia non vis esse vacua opera tua. Quomodo possum me tollerare in hac miseria vita, nisi me confortaveris tua gratia. Noli avertere faciem tuam a me, noli visitacionem tuam prolongare, noli consolacionem tuam abstrahere, ne fiat anima mea sicut terra sine aqua tibi. Domine doce me facere voluntatem tuam, doce me coram te humiliter et digne conversari, quia sapientia mea tu es, qui novisti me cognoscere, qui elegisti antequam fierem mundo et antequam natus essem in mundo.